



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

92. An Clerici exhortantes in bello iusto, ut hostes occidantur incurrant
irregularitatem? Ex p. 9. tr. & Misc. 4. res. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XC.

An Consilarii Principum, ut v. g. Regentes, & Praesidentes, Magistri rationales, &c. sint irregulares, ita ut sine dispensatione ordinari non possint?
Et docetur iudices, & officiales Episcoporum & Administratores rerum Ecclesiasticarum, imo & rerum piarum quamvis secularium, ut sunt res personarum miserabilium, ordinari posse?
Et an obligatus ad ratiocinia possit ordinari ante rationem redditam, etiam deserto officio; & quid si Fidei iussores exhibeant?
Et quid est dicendum ante delicti pecuniarii solutionem, relicti ex officio, vel administratione, &c. Ex p. 4. tract. 2. Resol. 98.

§. 1. **V**idetur affirmativè respondendum, ex capite 1. 2. & 3. diff. 15. ubi Curiales, & qui publicis functionibus occupantur, sunt irregulares, & sub nomine Curialium in dictis textibus vocantur quicumque Curiae seculari obligati sunt in ministerio alicujus officii publici, sive in perpetuum, sive ad tempus, & sive talis obligatio sit ex juramento, pacto, aut stipendio.

2. Sed his non obstantibus, ut optimè observat Mercerus in 3. part. D. Thome, quest. 24. dub. 13. Petrus Cornejo in 3. part. D. Thome tract. de irregular. diff. 14. dub. 2. num. 3. excipiuntur ab hac generalitate, qui sunt Principum Consilarii, sive hæc exceptio sit expressa Pontificis concessione, sive ex consuetudine præscripta, quod etiam docet Suarez de censur. diff. 5. sect. 3. num. 16. quibus addo Hurtadum tract. de irregul. diff. 2. difficult. 18. num. 60. ubi etiam docet cum Mercero & Cornejo locis citatis, iudices, & officiales Episcoporum, & Administratores rerum Ecclesiasticarum, imò rerum piarum, quamvis secularium, ut sunt res personarum miserabilium, ordinari posse, quod deducitur ex canon. ultim. diff. 86. & ex can. 1. diff. 88.

3. Notandum est etiam hic obiter contra Toletum lib. 1. cap. 60. & alios quod obligatus ad ratiocinia non potest ordinari ante rationem redditam, etiam deserto officio, secus verò dicendum est ante solutionem debiti pecuniarii relicti ex officio, vel administratione, post desertionem officii, & rationem redditam: quia solutio nulli in sacris Canonibus requiritur. Ergo in tali casu poterit ordinari. Ita DD. citati ubi supra.

4. Et tandem nota hic cum Cornejo loco citato, quod in casibus quibus ob ratiocinia reddenda aliqui ab Ordinibus excluduntur, si fidei iussorem exhibeant, qui causam ratiocinii in se assumat, ordinari non prohibentur. Ita ille, qui citat Panormitanum & Sayrum, quod est valde notandum, ut in casu contingenti aliquis ex supradictis possit, si velit, statim ordinari.

RESOL. XCI.

An si Clericus in bello iusto incitat aliquem determinatè occidendum, sit irregularis? Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Ref. 98.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Lorca in 2. 2. sect. 3. diff. 51. n. 2. ubi sic ait: Qui intersunt bello iusto, etiam si adsint sine licentia Pontificis, & proinde pugnent manu & multo potius si in conflictu

exhortentur milites ad fortiter agendum, dummodo ne præterea neminem occidant, aut mutilent, aut ad id aliquem determinatè incitent, sunt irregulares. Ita Borca, & ita etiam docet Suarez de censur. diff. 47. sect. 6. num. 8. & alii. Et ratio est, quia illa exhortatio est directè ad eadem ergo incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis.

2. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo, quam præter Tartianum in 2. 2. tom. 1. diff. 93. dub. 2. docet novissimè Hurtad. de Mendoza in 2. 2. tom. 2. diff. 169. sect. 2. §. 137. Ratio est, quia irregularitas non est admittenda, nisi exprimitur jure; sed nullo jure exprimitur in hoc casu: ergo. Secundò, quia persuasio totius exercitus ad strenuè pugnandum est conjuncta cum persuasione ad hominum cædes, & mutilationes; sed illa non contrahitur irregularitas, ergo neque hac. Major probatur, quia strenua pugna totius exercitus non potest physice separari à cædibus & mutilatione, qui enim potest acriter pugnari à toto exercitu, quin aliquis hostium cadat? Vnde non potest dici hæc persuasio remotè conjungi cum cæde. Confirmatur si bombardarii, & sclopetarii statuerent non dispendere sclopetum, atque bombardas, posset Clericus absque irregularitate eos hortari ad dispositionem, ex qua videret nonnullos necessariò cæsum iri, aut mutilatum: ergo, &c. Vnde ex his apparet Hurtadum approbare doctrinam, quam primus docuit Vasquez, & nos sæpius notavimus, nempe irregularitatem ex defectu lenitatis incurrì tantum ab illis qui concurrunt aliquo modo ad mortem, ut iustitiæ ministri; secus autem ab aliis, si non sit in jure expressa. Vide eundem Hurtadum §. 145. Igitur nisi Clericus ipse ad necem concurrat suis arma movens manibus, aut alia ratione concurrat realiter ad necem, non est irregularis, licet aliàs sit causa proxima, ut alii occidant, exhortando milites in generali, ac etiam in particulari ad hostes occidendos. Ita Hurtadus §. 143.

RESOL. XCII.

An Clerici exhortantes in bello iusto, ut hostes occidantur, incurrant irregularitatem? Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Ref. 7.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam tenet Lorca 2. 2. Sup. tota doctrina hujus ref. præterea, & signanter supra hoc infra in ref. 96 & in aliis ejus primæ not.

2. Verum mihi placet negativa sententia, quam tuetur Avila de Censur. p. 7. diff. 6. sect. 3. dub. 2. cõcl. 2. ad 1. arg. Turrianus 2. 2. tom. 1. diff. 93. dub. 2. Hurtadus de Mendoza vol. 2. diff. 169. sect. 14. subsect. 2. §. 37. & 143. & alii penes ipsos. Et ratio est, quia irregularitas non est admittenda, nisi exprimitur à jure: sed nullo jure exprimitur in hoc casu: ergo. Secundò, quia persuasio totius exercitus ad pugnandum strenuè est conjuncta cum persuasione ad hominum cædes, & mutilationes; sed illa non contrahitur irregularitas: ergo nec hac. Major probatur, quia strenua pugna totius exercitus non potest physice separari à cædibus, & mutilatione. Qui enim potest acriter pugnari à toto exercitu, quin aliquis hostium cadat? Vnde non potest dici hæc persuasio remotè conjungi cum cæde. Confirmatur si Bombardarii, & Sclopetarii statuerent non dispendere sclopetum, atque bombardas, posset Clericus absque

absque irregularitate eos hortari ad dispoſitionem, ex qua videret nonnullos neceſſario ita caſum, aut mutilatum; Ergo, &c. Et quidem ſi Adverſarii volunt licitum eſſe in prælio hortari milites ad fortiter dimicandum; quare non erit licitum hortari eos ad occidendum hoſtes? Nam ſi de re ſit ſermo, idem erit hortari milites in ipſo congreſſu belli ad ſic dimicandum, ut conſequantur victoriam; & hortari illos ad occiſionem hoſtium, ſi neceſſaria eſt ad victoriam reportandam; & quamvis una locutio minus ſit expreſſa, quam alia; conſideratis tamen rerum circumſtantiis, idem eſt utriuſque ſenſus. Et eundem eſſe ſenſum docuerunt Innocentius, & Panormitanus in cap. Quod in dubiis, de pœnis; quamvis contra communem Doctorem exiſtiment in utroque eventu Clericos contrahere irregularitatem. Sed, ut dixi, in priori caſu communiter ſentiant Doctores Clericos non incurſe irregularitatem; & in poſteriori hoc eſt probabile propter factam rationem. Itaque exhortatio ad eadem in bello juſto, non eſt cauſa irregularitatis.

RESOL. XCIII.

An Clerici, qui in gravi neceſſitate pugnant in bello, incurrant irregularitatem?

Et quid ſententiam eſt de Clericis de licentia Summi Pontificis bello aſſiſtentibus?

Et notatur, quod licet in caſibus in quibus Clerici in bello juſto pugnando lethaliter peccent, non ſunt irregulares, eſto in eo bello aliqui interficiantur, aut mutilentur. Ex p. 6. tract. 4. Ref. 8.

§. 1. **A**D primum reſpondeo certum eſſe urgente gravi neceſſitate, ut ſuprà diximus, Clericos, ſi licite bello juſto interfunt, etiam licite propria manu pugnare: ut ſi aliàs ab invadente hoſte eſſent occidendi; aut Civitas, aut Navis in qua ſunt, eſſent expugnandæ, aut victoria magni momenti certò amittenda: tunc enim jus naturæ dat illis facultatem & ſe & communiter defendendi; imò in tali caſu obligantur pugnare, cum jus humanum nec intendit, nec poſſe derogare juri naturæ.

2. Sed difficultas eſt, an incurrant irregularitatem; Aliqui affirmativè reſpondent, niſi Clerici pugnent ad neceſſariam vitæ propriæ deſenſionem: ſed ego puto contrariam ſententiam eſſe ſuſtinendam, quam ex Molina & Lorca docet Coninch diſp. 35. de Bello, dub. 6. num. 91. nam nullum Clericus incurrit irregularitatem, niſi ſit ei culpabilis.

3. Ad ſecundum dubium ſic reſpondet Lorca in 2. 2. D. Thome, quaſt. 40. art. 3. ſect. 1. diſp. 51. num. 24. Si Clericus ex diſpenſatione Pontificis expreſſa pugnet, etiam ſi occidat aut mutilet, nullam irregularitatem incurſe tradunt Covarruvias & Molina: quoniam qui diſpenſat in aliquo, diſpenſare cenſetur in eo, quod conſequens & connexum eſt. Sed id non probò: quia milites juſte pugnantes ſi occidant aut mutilent, irregulares ſiunt: ergo eodem modo Clericus. Nec Papa concedens primum, cenſetur concedere ſecundum, niſi in conſeſſione expreſſerit. Ita Petrus Lorca.

4. Verùm ego ſententiæ Molinæ adhæreo, & contra Lorcam aſſero eſſe diſparem rationem inter Laicos in bello juſto pugnantes, inter Clericos ex licentia Summi Pontificis: nam Laici vocantur & admittuntur ad id, quod licite poſſunt efficere: neque in eorum exercitio quicquam Summus Pontifex diſpenſat: & ideo neque tollere, eſt cenſendus, irregularitatem. Sed contrarium accidit in Clericis qui ex ejus licentia poſſunt in bello pugnare: ergo dicendum eſt

eo ipſo quòd Papa præbet eis licentiam ſupradictam, auferre irregularitatem.

5. Non nego tamen ſententiam Lorcæ eſſe probabilem, quam tueretur etiam Duvallius in 2. 2. D. Thome, tract. de charitate, quaſt. 16. art. 7. Notandum eſt etiam hinc cum Molina ubi ſuprà, om. 2. tr. 2. diſp. 110. concla. 2. Quòd etiam in caſibus, in quibus in bello juſto Clerici pugnando lethaliter peccant, non ſunt irregulares: eſto in eo bello aliqui interficiantur, aut mutilentur; habetque id verum, non ſolum ſi in genere exhortentur ad pugnam, fortiterque dimicandum, atque & ſubſidia præbeant: ſed etiam ſi ipſi aliquos interficiant, ac vulnerent. Huic conſeſſioni quædam ex parte favent c. præſentium, & c. continentia, de Clerico percuſſore: ſed aperte colligitur ex c. petito, de homicid. cui juri innixi eam amplectantur Panormitanus ibid. Navarrus in manuali, c. 27. n. 215. Covarruvias in Clement. ſi furioſus, p. 2. §. 3. n. 2. Doctores communiter. Quòd ſi Clerici ita pugnando in bello juſto irregularitatem non incurunt; multò minus illam incurrent Laici licite & meritorie in eo pugnantes. Huius conſeſſionis non alia eſt ratio, quam quòd cum hæc ex jure poſitivo pendeat, merito in favorem belli juſti, quo Eccleſia & Reſpublica defenduntur, atque ampliantur, à Summis Pontificibus conſtituta ſunt: præſertim cum ſi morte aut mutilatione in bello juſto ſubſecuta, omnes qui in eo conſiliū, favorem, aut auxilium dederunt, irregularitatem incurſerunt: ſane in ſingulis juſtis præliis exercitus totus, innumeraque alia hominum multitudo maneret irregularis, quod eſſet infinitam penè multitudinem interite, hominèſque tardos ad præliandum, & adjuvandum in bello juſto cum magno Eccleſiæ & Reſpublice detrimento reddere. Et hæc omnia docet etiam Lorca in 2. 2. diſp. 11. num. 22. & 23.

RESOL. XCIV.

An, ſi Clericus ex licentia Summi Pontificis pugnet in bello, & aliquem occidat, incurrat irregularitatem? Ex p. 9. tr. 9. & Miſc. 4. Ref. 6.

§. 1. **A**ffirmativè reſpondet Lorca in 2. 2. D. Thome, quaſt. 40. art. 1. ſect. 3. diſp. 51. n. 23. ubi ſic ait: Si Clericus ex diſpenſatione Pontificis expreſſa pugnet, etiam ſi occidat, aut mutilet, nullam irregularitatem incurſe tradunt Covarruvias, §. illo 3. n. 2. & Molina diſp. 110. quoniam qui diſpenſat in aliquo, diſpenſare cenſetur in eo quod conſequens, & connexum eſt. Diſpenſatione tamen expreſſa, ut pugnet, quia ſi ſolum concedat Papa Clerico ut bello interficiat, non cenſetur concedere pugnam, ut tradit etiam Molina lib. 5. cap. 49. num. 5. Sed id non probò. Quia milites juſte pugnantes, ſi occidant, aut mutilent, irregulares ſiunt: ergo eodem modo Clericus. Nec Papa concedens primum, cenſetur concedere ſecundum, niſi in conſeſſione expreſſerit. Ita ille.

2. Sed ego adhæreo opinioni Molinæ, & Covarruvias, quam etiam tueretur Præpoſitus in 3. p. 3. de irregular. dub. 12. num. 96. Suarez de cenſ. diſp. 47. ſect. 6. n. 12. Turrianus in 2. 2. tom. 1. diſp. 93. dub. 1. Horradus 20. 2. diſp. 169. ſect. 14. ſub ſect. 2. §. 139. & alii. Nec valet dicere cum Lorca, quia Laici poſſunt licite pugnare, nec tamen ſunt ab irregularitate immunes: ergo ſi Clerico ſit licita pugna ex diſpenſatione Pontificis, non erit immunis ab irregularitate. Nego conſeſſionem, quia Laici utitur jure communi, Clericus autem jure derogante lege communi. Cum autem Pontifex cenſuit cauſas eſſe ſatis ad permittendum Clerico pugnam, cenſuit idem de irregularitate, Et